



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

5. Dies Octob. Non orietur ei sol gloriæ, cui non fuerit ortus sol justitiæ. S.  
Bernardus Serm. 5. in Vigil. Nativ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 5. DIES OCTOB.

Non orietur ei sol gloriae, cui non fuerit ortus sol iustitiae. *S. Bernardus Serm. 5. in Vigil. Nativ.*

Renovatio spiritus.

I. **N**emo in hac valle lachrymarum tantæ est obnoxius miseriae, qui non sit candidatus aeternæ gloriae. Sed ad gloriam non est alia semita nisi iustitia. Sicut duplex est vita, altera mortalis, quam hic agimus; altera immortalis, quam expectamus; sic duplex est sol, pro duplici vita; pro hac vita, sol Iustitiae, sive Gratiae, pro altera sol Gloriae. Tu hunc, qui mundum illustrat, solem imitare, si velis solem Gloriae tibi allucere. Quotidiana mentis innovatio, solis est imitatio. Sol quotidie occidit, & oritur, hoc est, quotidie quasi & nascitur & moritur. Sic quotidie in te occidant, quæ ducunt ad animæ occasum, Vitia; moriatur in te Iracundia, Superbia, Acedia, Intemperantia, tot quot in te dominantur Vitia, tot à te efferantur funera. Sic eris sol occidens, dum excusseris vesperi animum, illa in te occident, quæ animam occidunt, Esto & manet sol oriens, & quasi denuò nascens; nascatur in te, sicut modò genito infante, novus spiritus ardor, nova in Virtutum exercitiis diligentia, nascatur in te Pudicitia, Modestia, Temperantia, Tolerantia, singulæ denique Virtutes. Tunc orietur tibi quotidie sol iustitiae, & indubiè post occasum mortalis vitæ, orietur tibi sol immortalis gloriae.

II. Sic vive hoc die, quasi certò moriturus, hac, quæ sequetur, nocte. Tanta omnium virium contentione incumbe in Dei obsequium, perindè ac



si omnes homines simul hoc essent à Deo primum procreati, quorum unus tantum è toto numero, esset donandus æternâ gloriâ, is videlicet, qui maximo animi ardore, & spiritus fervore, Deo famularetur, eique summè placere conniteretur. Ad quem finem cum reliquis indultum foret spatium centum annorum, tibi tantùm indulgeretur spatium illius diei. Quid tunc ageres, imò quid tunc non ageres? Essetne in omni illo die momentum, vel sterile aliquo in Deum obsequio, aut non fertile insigni merito? Revoca sæpè in memoriam, Sanctorum axiomata, quæ spiritui sunt, quibus ad curriculum inciteretur calcans. Quale est istud S. Antonii. *Ubique possumus invenire cælum, modò cor hominis sit in corde Dei*: Et illud S. Alberti: *Stupeo nos posse credere Deum esse Deum, & tam tepidè nos ei servire*. Et aliud ejusdem. *Non attendas quid facias, sed quid te facere oportet, quid posses facere, si sineres te à Deo duci*, itemque S. Odonis. *Homo solus parum potest, sed Deus, & homo concordantes, omnia possunt*. Denique illud S. Romualdi. *O Romualde, si permitteres Dei gratiam operari in anima tua, quid non faceres? miser, vis per te facere, & totum corrumptis*.

III. O mentis cæcitas! ô voluntatis perversitas! nos tam multa ex Fide, quâ illustrati sumus, audire, tam mira videre, tam stupenda scire, tam prodigiosa cognoscere, & tamen non credere? aut si credimus, minimè expendere, aut si expendimus, tam parum apprehendere. Sana præterire ut aliena, negligere ut inutilia, sæpè ridere, ut stulta, contemnere insomnia, abominari ut noxia, & averfari ut vitia, tempori, loco, muneri inconvenientia, & repugnancia.



Octob.

Tessera.

791

tia. Nonnè ut olim discipulis, (a) sic modò nobis meritò exprobraverit incredulitatem nostram, & duritiem cordis Christus, quia his qui vident, non credimus. O incredulitas exitiabilis! O durities cordis detestabilis! non credere tot expertis, non assentiri tantæ fidei viris, tanti nominis Divis! Quæ cum omnes unâ voce prædicent, semitam in cælum angustam, viam asperam, nos tamen quærimus latam, ingredimur planam, & plus credimus nostræ temeritati, quàm ipsi Deo, ipsi veritati. (b) *Contendite, inquit, intrare per angustam portam!* & Quomodò ergò poterunt, qui non contendunt? aut quomodò contendunt, qui contendendum non credunt? aut quomodò credunt, qui non satagunt? certè non satagunt, qui non aliter contendunt, qui ita quiescunt, qui visâ tantâ aliorum contentione, auditâ contentione difficultatis, intellectâ difficultatis necessitate, turpiter stertunt; & vix stare curant, cum stare tamen, quin deficiat, posse neminem audiant. Aut ergò tales necesse est Deo ipsi detrahant fidem, aut suam desperent salutem, qui tam expressam spernunt monitionem. Ne te in illo tuo tam laudabili curriculo retardet difficultas, & labor, cogita bravium, suspice cælum, objice tibi gaudium.

*Quantum gaudebunt, quos gaudia summa replebunt.*

## 6. DIES OCTOB.

Ubi Deus Magister est, quàm citò discitur, quod docetur. *S. Leo Serm. 1. de poenitent.*

Ddd 4

I. Ut

(a) *M. 16.* (b) *Matt. 7. 13.*